



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXXVII. Sententia declaratoria nullitatis professionis ferri debet per Ordinarium, unà cum Superiore conventus, in quo facta fuit professio, adeo ut commissio hujusmodi negotii non possit dari ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

Quæst. & Resol. benefic. Cap. LXXVII. 129

16 in iustam, quâ inquisitus reperitur signatus, inter indicia beneficii referat: † tamen *num. 162.* concludit ad hoc ut indicia per eum proposita sufficiant ad torturam, requiri ut saltem aliquis mala fama, & sinistra suspicio beneficii concurrat: quæ tamen sola ad torturam non sufficeret.

17 Tertia conclusio. Solum stigmatis indicium non sufficit ad condemnationem. Hæc conclusio evidenter probatur ex præcedentibus. Cum enim probatum fuerit, hoc solum indicium non sufficere ad torturam inferendam, multò minùs sufficere poterit ad condemnationem. † Maxime cum non absolutè vera videatur Bodini sententia, qui *lib. 4. de monom. cap. 4.* presumptionem hanc vocat bene violentam, quamquam ipse fateatur ex ea sola ad condemnationem deveniri non posse: sed alias requirit præsumptiones & conjecturas, veluti si locus criminis penitentia ductus in articulo mortis inquisitum nominaverit. Unde indubitata est & verissima conclusio proposita.

CAPUT LXXVII.

Sententia declaratoria nullitatis professionis fieri debet per Ordinarium, unâ cum Superiore conventus, in quo facta fuit professio: adeo ut commissio huiusmodi negotii non possit dari alteri, quàm Superiori principali; nempe Priori, vel Guardianò: nec sufficiat, si in hac causa processerit Subprior, etiâ uti à Priore deputatus; cum Subprior, vel vicarii Guardianorum non sint in Ecclesiastica dignitate constituti. Quod R. P. D. Vicegerens Avenionis non habeat jurisdictionem in similibus causis. Sententiam super professionis nullitate latam, non posse transire in rem iudicatam. Novitiatus annus quamvis debeat esse continuus, & non interruptus; tamen potest compleri ante decimumquintum annum ætatis novitii finitum. Si tamen novitiatus integer non fuerit, nulla est professio ipso jure, adeo ut non sit opus sententia declaratoria.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Concilii Tridentini super cognitione nullitatis professionis, præcisè servanda est, nec sufficit illam servari per æquipollens.
- 2 Commissiones sedis Apostolicæ non solent dari aliis quàm Guardianis, vel Prioribus conventus.
- 3 Soli Guardiani vel Priores conventuum constituti sunt in dignitate Ecclesiastica.
- 4 Nomen dignitatis debet intelligi de principali dignitate in terminis capit. statutum, de rescript. in 6. ibidem.
- 5 Gesta per delegatum non habentem qualitates requisitas in cap. statutum, de rescript. in 6. sunt nulla.

- 6 Subdelegatus debet esse in dignitate Ecclesiastica constitutus, quando eadem qualitas requiritur in delegante.
- 7 R. P. D. Vicegerens Avenionis, non potest sine speciali commissione procedere ad sententiam declaratoriam nullitatis professionis.
- 8 Citatio quæ fit initio litis, debet præcedere, & personaliter intimari.
- 9 Commissio super declaratoria nullitatis professionis, dari debet Ordinario, & superiori illius loci in quo professio facta fuit, & non aliter.
- 10 Sententia lata super professione, nunquam transit in iudicatum, nec similiter in causa usurarum, numer. 11. nec in causa matrimoniali, numer. 12.
- 11 Valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale.
- 12 Annus novitiatus debet esse continuus, & non interruptus; alias professio est nulla.
- 13 Sufficit annus novitiatus continuari, & compleri ante anni decimumquinti finem.
- 14 Annus novitiatus numerandus est à die quo novitius suscepit habitum, quamvis eo tempore nondum attigisset annum decimumquintum.
- 15 Professio est valida, quamvis interruptio aliquâ intervenerit, si prius totus annus novitiatus fuisset completus.
- 16 Sententia lata ex falsa causa, nulla est; ita ut non sit opus ab ea appellari.
- 17 Quando novitiatus annus non fuit finitus, professio est nulla; & non est opus de super sententiam obtinere; servata forma Concilii Tridentini.
- 18 Professio emissâ ante completum annum novitiatus, nequidem valet tanquam simplex votum.
- 19 Novitius recedens etiâ non petita licentia, nullam incurrit irregularitatem ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica, secularia; vel regularia.
- 20 Annus novitiatus integer, & completus requiritur pro forma: ideo si non observetur, corrumpit actus ipso jure, etiâ sine declaratione.
- 21 Professio est nulla, etiamsi deficerent ab anno novitiatus duæ, vel tres horæ.
- 22 Hoc non procedit in eo qui tenetur ex voto præcedenti profiteri religionem: potest enim profiteri non completo novitiatus anno, & ante 16. annum completum, secundum aliquos.
- 23 Ordinarius potest declarare nullam professionem emissam ante completum annum 16. absque aliâ commissione.

Variè sæpius occurrunt casus decidendi super validitate, aut invaliditate sententiarum, quibus professiones per regulares emissæ, annullatæ & irritæ declaratæ fuerint: in quibus diversimodè quandoque affirmativè, quandoque negativè, secundum varias facti circumstantias respondendum fuit.

Inter cæteros propositus fuit casus sententiæ declaratoriæ nullitatis professionis per Ordinarium, unâ cum R. P. Subpriori conventus latæ; quæ propterea subsistere non potuit, tanquam lata contra formam sacri Concilii Trident. sess. 25. cap. 19. de regular. ubi nominatim requiritur pro forma, quod declaratio nullitatis professionis fiat coram Ordinario loci, & Superiore regulari: quâ formâ non servatâ, corrumpit in totum processura: cum non sufficiat formam Concilii servari per æquipollens, ut fuisse

fuisse determinatum per Dominos sacri Concilii interpretes, testatur Riccius in *praxi aurea rer. for. Eccl.* res. fol. 20. per totam.

2. Neque commissio sedis Apostolicæ data fuerat Subpriori, sed Priori conventus, seu ejus superiori; cum ex stilo Cancellariæ Apostolicæ commissiones hujusmodi non aliis dari soleant, quàm Prioribus, vel Guardianis conventuum, juxta text. in *cap. statutum*, §. 1. de *rescriptis*, in 6. & melius in *Clement. c. si* 3. *principalis*, l. 2. *cod. tit. 1. Soli enim Guardiani minorum, seu Priores aut superiores aliorum conventuum, possunt esse commissarii sedis Apostolicæ, tanquam in Ecclesiastica dignitate constituti*: ut notat *Geminian. in cap. nullus vel gies. num. 6. de elect. in 6. Aufi. ad decis. 13. capell. Tholosan. in fin.* Dum enim constitutum fuit, ut commissiones, & delegationes sedis Apostolicæ darentur personis in dignitate Ecclesiastica constitutis; nomen dignitatis intelligi debet per prius, id est de principali dignitate; & non per posterius. *Anchar. in d. Clem. 2. & ibidem Imol. num. 1. ubi dicit, quod textus in d. cap. statutum, intelligendus est de dignitate strictè, & propriè sumpta*: quia in dubio verba sic debent intelligi, ut propriam potius & naturalem interpretationem recipiant, quàm impropriam & accidentalem.
4. Subpriori autem non possunt dici propriè habere dignitatem, vel prælaturam; quamvis forsitan aliquam habeant administrationem in pertinentibus ad claustrum, & ad normam: unde dictorum jurium dispositio debet intelligi de dignitate principali, nempe de prioratu principalem administrationem tribuente in bonis, & juribus universalibus conventus. *Imol. in d. Clem. c. si principalis, num. 3. & 5. & de hoc est optima gloss. in verb. claustrali, ubi nominatim habetur, quod hodie possunt dari soli Priori,*
5. propter dictorum textuum dispositionem. † Unde propter jurisdictionis defectum, sententia declaratoria nullitatis dictæ professionis nulla est: quia omnia gesta per delegatum non habentem qualitates requisitas per dictum *cap. statutum*, nulla sunt. *Monet. de commut. ult. vol. cap. 8. num. 120.*
6. Nec verum est, quod Superior potuerit in hac causa Subpriori cognitionem subdelegare: quia subdelegatio non sustinetur, nisi in subdelegato concurrant eadem qualitates, quæ requiruntur in subdelegante: & sic subdelegatus debet esse in dignitate Ecclesiastica constitutus. *Gomez in comment. ad dictum cap. statutum, de rescriptis, num. 62. in fin. post Abbat. in cap. pastoralis, extr. de offic. deleg. & Rotam decis. 393. Nota quod si in forma communi, in antiqu. Monet. de commut. ultim. volunt. d. cap. 8. num. 115.*
7. Et per eandem rationem aliàs Dixi, sententiam declaratoriam nullitatis professionis, latam per R. P. D. Vicegerentem Avenionis, nullam esse, ex defectu jurisdictionis: quia licet amplè sint facultates ipsius, non tamen potuit in hac materia judicare; cum speciales à Sacro Concilio judices fuerint constituti, *d. sess. 25. cap. 19. de regularibus. † Præsertim verò, quia sine citatione processerat; cum tamen certum sit, dictum religiosum, de cujus interesse principaliter agebatur, debuisse in initio litis personaliter citari. Seraph. decis. 1276. n. 4. Rot. decis. 637. num. 2. part. 2. recent. & Dixi in tract. de preventionibus judiciali, cap. 9. num. 49. neque facta fuerant debita diligentia contra condemnatum.*
9. Et in alio casu propter eundem jurisdictionis defectum, fuit impugnata sententia lata super nullitate professionis in hac civitate per Dominum Archiepiscopum, & Superiorem conventus: quia professio

facta fuerat in civitate Aquis, & per consequens commissio dari debebat ex Concilio, Archiepiscopo illius loci, in quo facta fuerat professio: ut refert *Barbof. ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. num. 25. & in tract. de Episcop. alleg. 104. num. 12. Tamburinus de jure Abbat. tom. 2. disput. 26. quest. 6. num. 3. quævis contradicat Bonacin. in tract. de clausura, quest. 2. punct. 10. difficult. 3. num. 3. Sed contra illius sententiam fuisse judicatum per Eminentissimos Cardinales sacri Concilii interpretes, testatur *Tamburinus loco citato.**

Sed præsupposita validitate sententiæ super professione lata; si tamen in meritis injusta fuerit, quæ transit in rem judicatum; sed si injusta deest, debet quandocumque retractari, cum agatur de peccato, vel periculo animæ. *Glossa finalis in cap. inter monasterium, de re judic. Maranta in Speculo, part. 6. tit. de sentent. num. 147. Abbas in cap. novit, num. 21. de judic. cum aliis notatis per Barbof. in cap. lator, num. 3. de sentent. & re judic. Tusch. litter. 8. conclus. 173. num. 33. Menochius arbitrar. casu 439. num. 5. † Sicut in simili videmus, quod sententia lata in materia usurarum, nunquam transit in rem judicatum. *Marant. loco citato, numer. 142. Barbof. d. cap. lator, num. 3. in fin. † Idem dicendum est de sententia lata adversus matrimonium carnale, quæ non transit in judicatum, si non iusta sit. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 100. Gill. lib. 1. observ. 112. † Idem ergo dicendum est de matrimonio spirituali, quia valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale. *Everar. in tit. de matrimonio carnali ad spirit.***

Injustitia verò sententiæ inter cætera in eo consistebat, quod in ea supponebatur contra veritatem professionem emissam fuisse interrupto novitatu anno: nam licet verum sit, annum probationis debere esse continuum, ex Concilio Trident. *sess. 25. cap. 15. Rot. decis. 175. part. 1. recent.* Quia tamen annus ille detur in subsidium humanæ fragilitatis, & in favorem tam novitii, quàm monachii, cap. ad apostolicam, de regul. non debet probatio brevitas continuo, & non interrupto novitatu anno, & religioso intra claustra remanente, ut dicitur in *decis. 175. & per Mirand. in manual. præl. reg. quest. 22. art. 4. Tamen non poterat dici interruptum novitatu annum: † quia sufficit quod fuerit interruptus ante decimum quintum; & perfectus per id quod tempus ante decimum sextum annum completum: tunc enim professio erit valida, dummodo expectetur ad illam faciendam adventus anni decimi sexti completi. *Roderic. tom. 3. quest. regul. quest. 11. art. 2. versic. & advertendum. Barbof. de Episcop. part. 3. quest. 101. num. 31.**

Imò annus iste probationis, non debet computari ab anno ætatis novitii decimo quinto, sed à primo die quo novitius suscepit habitum, licet novitatus esset ætatis quindecim annorum. *Jacobus de Gaddis lib. 3. de regul. cap. 5. num. 17. ubi dicit hoc ita esse per usu: & magis in specie Miranda in manuali præl. regul. part. 1. quest. 22. art. 3. in prima conclus. † dicit quod si minor annis sexdecim suscipiat habitum; & per annum continuum experietur religionis asperitates, deinde habitum dimittat, & iterum nis asperitates, deinde habitum completum redeat, & post annum decimum sextum completum professionem emitat; talis professio est valida, quia novitius jam expertus est omnes religionis asperitates quas potuit experiri, ante decimum sextum annum expletum: & hoc dicit esse valde notandum, & memoriæ commendandum: ergo cum in sententia professio fuisset declarata nulla sub falso præsupposito*

Quaest. & Resol. benefic. Cap. LXXVIII. 131



CAPUT LXXVIII.

Continuatur materia capitis praecedentis de nullitate professionis propter annum novitatus interruptum: & agitur de professione emissâ ex causa metus reverentialis. De tacita professionis ratificatione. De reclamatione intra quinquennium. Et utrùm liceat propria auctoritate recedere, quando professio est nulla: & sic matrimonium postea contractum sit validum. Quid si professus admissus fuerit ad religionem in alio conventu, postquam rejectus fuerat à capitulo conventus illius loci, in quo novitatum fecerat: utrùm talis professio nulla sit.

SUMMARIUM.

- 1 Non solum annus novitatus debet esse continuus, sed etiam tempus quo differtur professio post elapsum novitatus annum.
- 2 Interruptio modica post completum novitatus annum non nocet, dummodo habitus non fuerit dimissus.
- 3 Quilibet modica interruptio intra annum novitatus, reddit professionem nullam.
- 4 Interruptio aliquot horarum post finitum novitatus annum non nocet, si habitus non fuerit dimissus animo deserendi religionem.
- 5 Interruptio post finitum novitatus annum, cum dimissione habitus facta animo exiendi à religione, reddit professionem nullam, etiam si modicum intervallum.
- 6 Interruptio facta retento habitu, sed animo deliberato deserendi religionem, nocet professioni.
- 7 Modicum intervallum interruptionis nocet religioni professioni, si eo tempore notabilis morum correctio intervenire potuit.
- 8 Privilegia quibusdam religiosis concessa, quibus permittitur conjungere tempora novitatus interrupti, sunt sublata per Concilium Tridentinum.
- 9 Metus solus reverentialis non annullat professionem, nisi etiam simul intervenerit coactio.
- 10 Renovatio votorum, qua vitiosum habuerunt initium, non reddit professionem validam, nisi ratificans, seu renovans habuerit notitiam nullitatis professionis.
- 11 Reclamatio adversus professionem intra quinquennium, sub quibus conditionibus suffragetur.
- 12 Si professus certo sciat professionem suam esse nullam, poterit in foro conscientiae recedere à religione propria auctoritate.
- 13 Qui scit professionem suam esse nullam, potest in foro conscientiae matrimonium absque dispensatione contrahere.
- 14 De reclamatione intra quinquennium, adversus professionem, qui DD. tractant. Remissivè.
- 15 Receptio novitiorum ad professionem non pertinet solum ad superiorem conventus, sed copulativè ad ipsum, & ad capitulum.
- 16 Vota capitulanti, dum tractatur de admissione

ad

- fito, annum scilicet probationis fuisse interruptum; & nihilominus ex ejusdem sententiae lectura constaret de contrario, supponendo novitatum potuisse compleri ante 16. annum, ut mox dictum est: rectè conclusum, & in gradu appellationis judicatum
- 18 fuit, sententiam injustam fuisse, & nullam, uti ex falsa causa latam: l. 2. Cod. quando provoc. non est necess. Oportet enim sententiam sub falso fundamento pronunciatam, fuisse latam sine causa cognitione, & sic nullam: l. 2. Cod. de sentent. ex brev. recitand. Galganet. de condit. & demonst. part. 2. cap. 4. quest. 5. num. 5.
- 19 Sed si probatum fuisset, professionem emissam fuisse non expectato novitatus anno, sine dubio nulla, & invalida declaranda fuisset: imò nulla esset ipso jure, adeo ut non esset opus nullitatis causas proponere coram Ordinario, & Superiore regulari, servata forma Concilii: ut tradit Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 11. & quod professus, non expectato novitatus anno, possit ad saeculum redire, probatur in cap. 1. de regul. in 6. & tradit idem Sanch. in praecip. decal. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 103. ubi dicit talem professionem omni prorsus obligandi vi destitui, peinde ac si facta non esset: adeo ut nequidem valeat tanquam simplex votum. Idem tenuit Mirand. in manual. praelatorum regul. part. 2. quest. 22. de novitiis, art. 8. & ubi ostendit moniales intra annum probationis, nulla etiam petita licentia, posse liberè ad saeculum redire: & egrediendo etiam sine licentia, non incurrere aliquam irregularitatem ad ordines, vel ad beneficia Ecclesiastica, sive saecularia, sive regularia, cap. postulat. de regul. Emanuel
- 20 Roderic. quest. regul. tom. 3. quest. 17. art. 5. & ubi dicit, quod licet questio sit disputabilis, si juris apices consideremus; tamen audenti dispositione Concilii Trident. sess. 25. de regul. cap. 15. certum est, professionem hanc emissam ante lapsum annum novitatus, esse ipso jure nullam: neque opus esse, ut proferatur aliqua sententia declaratoria nullitatis: quia cum tempus sit de forma, non servato tempore requisito, professio irrita manet ipso jure, absque alia sententia, vel declaratione.
- 21 Et hæc adeo vera sunt, ut si tempore probationis deficerent duæ duntaxat horæ, ad complendum annum novitatus, nulla esset ipsa professio, ut fuit declaratum per sacram Congregationem Concilii, teste Barbof. in decis. Apostolic. cap. 6. 12. num. 7. & de jure Eccles. univers. lib. 1. cap. 42. num. 1; 9.
- 22 Limitantur tamen supradicta, ut non procedant, quando quis ex voto antea emissio tenetur ingredi, & profiteri in religione: quia valida est illius professio facta ante completum novitatus annum; vel etiam ante completum annum decimum sextum: ut dicit Barbof. de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 101. num. 14. Quod si verum est, magna est cautela ad eludendam intentionem Concilii Tridentini; & ideo si casus occurreret, maturius cogitandum existimarem: quia vovens profiteri, non obligatur ad proficendum, nisi servata forma juris: & sic tempore habili, & à jure requisito.
- 23 Advertendum tamen ultimo loco, quod licet supra dictum fuerit, cognitionem nullitatis professionis spectare ad Ordinarium, & Superiorem regularem conjunctim; tamen Ordinarius absque alia commissione poterit professionem nullam declarare, si ante completum decimum sextum ætatis annum emissâ fuerit: ex Barbof. de offic. & potest. Episc. d. alleg. 101. num. 1.